

gitur frui invitus. Unde quando obligent sub culpa, tum ex verbis legis, tum ex subjecta materia, aliisque circumstantiis, ac præsertim ex recepta et antiqua consuetudine, utpote quæ est optima legum interpres, prudenti iudicio erit determinandum; de quo plura superius lib. I. tit. II. *De Constitutionibus*. § 7, n. 152, ac seqq. et § 9, n. 204. et seqq. Quinimo plurimæ leges civiles sub certis penis taxatis præcipiunt, aut prohibent ea, quæ jam jure naturali, aut divino præcepta, vel prohibita fuerunt: ut, veram fidem catholicam profiteri, Deum colere, proximum non lædere, alienum restituere, a furto, latrocinii, adulteriis, aliisque criminibus abstinere, et hujusmodi. Et talium legum violationem inducere culpam, extra controversiam est: unde nec valet juramentum de præstando actum in contrarium.

90. *Si lex civilis principaliter fundetur super bono publico, tunc juramentum de præstando actu per eam prohibito non obligat.* — Resp. II. Si lex civilis principaliter fundetur super bono publico, tunc juramentum de præstando actu per illam prohibitio non obligat. Ita Abbas c. *Cum contingat*. 28. n. 5. et Baldus ibid. n. 5. h. t.; Card. Tuschus l. I. concl. 500. n. 20. post Calderinum, consil. 185, alias 9. *de Jurejurand.*; Sanchez lib. III. in *Decalog*. cap. ix. n. 34. citans alios. Ratio est, quia pactis, et juramenti privatorum, juri publico renuntiari non potest, c. *Si diligenti* 12. *de Foro compet.* et c. *Contingit interdum*. 36. *de Sentent. excommun.* et l. *Jus publicum*. ff. *de Pactis*. Siquidem nemo renuntiari potest ei, quod pro se non est introductum; prout dicitur ipsum lumen naturale. Quinimo juramentum, quod principaliter militat contra bonum commune, si servetur, vergit in dispendium salutis æternæ, hoc ipso quod sit contra jus alterius, sive communitatis; etenim:

91. *Regula est, quod juramentum vergens in præjudicium tertii, non obliget.* — Regula generalis est, quod juramentum vergens in præjudicium tertii, non obliget, c. *Quamvis pactum*. 2. *de Pactis* in 6. ibi. « Nec redundat in alterius detrimentum. » Concordat textus in c. *Cum contingat*. 28. § fin. h. t. ubi familia habentur. Et ratio est, quia juramentum, quod redundat in detrimentum tertii, saltem principaliter includit injuriam; ideoque non obligat, ne sit vinculum iniquitatis. Glossa fin. c. *Quamvis pactum, de pactis*. in 6. Layman lib. IV. *Theolog. moral.*

tract. III. cap. vi. n. 9; Sanchez d. cap. ix. n. 38. allegans alios.

92. *Dummodo tendat directe ac principaliter in detrimentum tertii: alias secus. Idque exemplificatur.* — Additur tamen, « saltem principaliter. » Quia regula hæc debet intelligi, quando juramentum tendit directe ac principaliter in detrimentum tertii: ut si mater sub juramento velit alienare, vel pignori obligare bona, quæ ex alicujus dispositione pertinent ad filiam, debentque huic illæsa relinquere. Secus, si juramentum illud indirecte duntaxat, ac secundo possit nocere tertio, atque in ejus redundare detrimentum: sic enim valet pactum juramento firmatum a filia, dum nuptui tradatur, ut dote contenta, nullum habeat ad bona paterna regressum; haud obstante, quod illud secundo, et in consequentiam præjudicet prolihus ex filia illa nascituris, d. c. *Quamvis pactum*. juncta Glossa fin. et margin. ibid. *de Pactis*. in 6; Sanchez cit. cap. ix, n. 39. et alii.

93. *Quando lex civilis principaliter fundatur super favore privati, tunc juramentum in contrarium præstitum valet, et obligat jurantem.* — Resp. III. Quando lex civilis principaliter fundatur super favore privati, licet secundo et in consequentiam respiciat etiam publicam utilitatem, tunc juramentum in contrarium præstitum valet, atque obligat jurantem. Ita Glossa fin. c. *Quamvis pactum*. et Francus ibid. n. 12. *de Pactis* in 6; Abbas cit. c. *Cum contingat*. n. 5, et Barbosa ibid. n. 4. et alii, h. t.; Sanchez d. cap. ix. n. 35, allegans plurimos alios. Ratio est; quia hujusmodi lex civilis potest quidem ob utilitatem privatorum sibi subjectorum, impedire obligationem quærendam homini, v. g. statuendo, ut non valeat pactum filie, quod dote contenta nullum velit habere regressum ad bona paterna: quia tamen lex est subiecta Deo, can. *Si dominus*. et can. *Qui resistit*. 11. quæst. 3. hinc non potest impedire obligationem quærendam Deo vi juramenti, quando istud cæteroquin non involvit turpitudinem; nec præjudicat tertio sive bono publico, sed duntaxat favori privato, cui quilibet renuntiare potest. Unde cum juramentum principaliter dirigatur in Deum, subintrat jure naturali notum, *Matth. v. 33. Non pejerabis: reddes autem Domino juramenta tua*. Sive, ut loquuntur sacri canones: « Omne juramentum nec vi, nec dolo præstitum servari debet, si non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in

alterius detrimentum, » prout dicitur sæpe cit. c. *Quamvis pactum, de Pactis*. in 6. et c. *Cum contingat*. 28. h. t. cum similibus.

94. *Sic valet alienatio rerum dotialium juramento firmata, quæ alioquin secundum leges est invalida: et cur?* — Eadem conclusio declaratur inductione. Sic imprimis alienatio rerum dotialium, secundum leges prohibita est, ac invalida, l. *Julianus*. ff. *de Fundo dotal.* et Anth. *Sive a me*. c. Ad. S. C. Vellejan. Si tamen eam mulier, sine vi et dolo, juramento suo confirmet, istud erit observandum, ne via perjuriis aperiatur, cit. c. *Cum contingat*. 28. h. t. ubi Glossa §. *Debent*; Joan. Andreas n. 1. et 2; Abbas in *Summaro*; Barbosa in *Collectan.* n. 2. cum aliis communiter. Nam finis primarius, seu principaliter intentus illarum legum civilium, est bonum particulare mulierum, utpote quibus expedit salvas habere dotes suas, ut post mortem mariti inveniant alium, cui nubere possint: quamvis secundo inde sequatur bonum reipublicæ, quæ conservatur per propagationem generis humani, l. I. ff. *Solutio matrimonio*. Atqui illicitum non est, quod mediante juramento mulieres renuntiant suo particulari favori, sicque alienent res suas dotales; cum libere possint penitus in secundis nuptiis abstinere, vel saltem ad has alia ratione pervenire. (ADNOTATIO XIV.)

95. *Item juramentum, ut filia dote contenta patri non succedat ab intestato.* — Deinde, licet secundum leges civiles pactum, quod filia dote contenta patri ab intestato non succedat, non valeat; et ideo ipsa succedere patri non prohibeatur, dummodo dotem fratribus conferat, l. *Pactum dotali instrumento*. c. *de Collatione*. Si tamen accesserit juramentum, omnino servari debet, sæpe cit. *Quamvis pactum, de Pactis*, in 6. ubi istud expresse habetur decisum; ac notat Glossa ibid. §. *Quamvis*. et Barbosa in *Collectan.* n. 1. et 2. allegans plurimos alios; Covarruvias d. c. *Quamvis pactum*. part. III. § 2. et 3; Fachineus lib. III. *Controvers. jur.* cap. xxii. xxiii. et xxiv, qui hoc ipsum variè ampliant. Ratio est, quæ supra n. 93.

96. *Pactum non revocandi testamentum, jure civili est irritum; si tamen accesserit juramentum obligat.* — Tertio, pactum, sive promissio non revocandi testamentum, jure civili irritum est: quia liberam de bonis suis usque ad mortem disponendi libertatem auferit, l. ult. c. *de Pactis*. Si tamen juramentum accesserit, obligat, nec potest revocari absque

perjurii reatu, nisi ejus relaxatio impetretur. Covarruvias *de Testament.* part. II. rubric. n. 52; Joan. Andreas c. *Quod semel*. n. 11. *de Reg. jur.* in 6; Alexander consil. 16, n. 3. vol. III, Layman cit. lib. IV. tract. III. cap. vi. n. 7. et communis aliorum, contra Fachineum lib. VIII. *Controvers. juris*, cap. lxxii.

97. *Mulier, si pro altero fidejubeat, non obligatur efficaciter: secus, si accesserit juramentum.* — Quarto, si mulier pro altero fidejubeat, non obligatur efficaciter, sed potest se juvare auxilio senatusconsulti Vellejani, l. I. et II. ff. Ad S. C. Vellejan. Secus, si accesserit juramentum: nam quia istud servari potest absque periculo animæ, et dispendio salutis æternæ, est observandum arg. c. *Ex rescripto*. 9, h. t. ubi Glossa §. *Et uxorem*. Abbas n. 9; Covarruvias c. *Quamvis pactum*. part. II. § 3, n. 8, *de Pactis*, in 6. cum aliis. Tacentur plures consimiles casus, de quibus inter alios Layman cit. cap. vi. n. 7.

98. *Solvuntur objectiones contra præmissa. Pactum, vel juramentum, per quod tollitur jus privati sibi publica auctoritate concessum, valet, secus, si tollatur jus commune.* — Objicies generaliter contra præmissa. Juramentum contra bonos mores est invalidum, ac nullius obligationis, c. *Non est obligatorium*. 58. *de Reg. jur.* in 6. Atqui juramentum, quod est contra leges civiles, est contra bonos mores; nam leges illæ sunt justæ, ac honestæ can. *Erit autem lex*. dist. 4, sicque earum violatio injusta, et peccaminosa. Resp. concessa majori, distinguendo minorem. Atqui juramentum, quod est contra leges civiles, quæ obligant sub peccato, est contra bonos mores, conced; quæ non obligant sub peccato, ut sunt illæ, quæ principaliter respiciunt bonum et favorem privatorum, cui si volunt renuntiare, non prohibentur, neg. minor. et consequent.: sub eadem, distinctione. Quia enim pactum, per quod tollitur jus privati sibi publica auctoritate concessum, valet; secus, si tollatur jus commune c. *Si diligenti*. 12. *de Foro competent.* et l. *Juris gentium*. § *Si paciscar*. juncto *Summaro* ff. *de Pactis*: a potiori istud erit concedendum de juramento, quo privatæ personæ renuntiant favori sibi publica auctoritate legis concessio; uti fit in allatis exemplis. Neque enim cogitur quis sub peccato ad fruendum favore pro se introducto: Sicut et « invito beneficium non datur, » ut habetur l. *Invito*. ff. *de Reg. jur.*

99. *Accessorium naturam sequi congruit principalis: quomodo intelligendum?* — Urgo-

bis « Accessorium naturam sequi congruit principalis, » juxta reg. 46. jur. in 6. ergo si non tenet principale, puta, pactum filiae, quod dote contenta nullum velit habere regressum ad bona paterna, etc. neque tenebit juramentum eidem appositum, veluti accessorium ipsius. Resp. neg. conseq. Nam regula illa, « Accessorium, » inter alias limitationes non procedit, quando in accessorio reperitur specialis ratio, quae non reperitur in principali, et propter quam illud, corruente principali, meretur sustineri: prout in juramento est reverentia divini numinis, ne videlicet testimonium aeternae veritatis in falsum adducatur. Abbas c. *Debitores*. n. 2, h. t. conformiter praemissis, sicut et dictis supra n. 77. et seqq. possunt solvi nonnullae aliae instantiae.

100. *Juramentum vi, metu gravi extortum, an obliget?* — Queritur V. Utrum obliget juramentum vi, aut metu gravi extortum? Resp. I. Juramentum promissorium metu etiam gravi, atque injuste incusso extortum obligat, dummodo possit servari absque dispendio salutis aeternae; nisi a legitimo superiore relaxetur. Ita divus Thomas 2. 2, quaest. 89, art. 7. ad 3; Glossa in cap. II. *Posse constringi*. et Abbas ibid. n. 2, h. t.; Sanchez lib. III. in *Decalog*, cap. II. n. 14. asserens, hoc esse certissimum; Pirhing h. t. n. 69; Sannig. eod. cap. IV. n. 4. et alii, contra quosdam antiquiores, quorum meminit Glossa loc. cit. Conclusio haec expresse habetur decisa c. *Si vero*. 8, h. t., ubi loquendo de quopiam, qui gravissimo metu coactus, sub religione juramenti jus suum refutavit, papa consultus respondit: « Quod non est tutum, quemlibet contra juramentum suum venire, nisi sit tale, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae: nec nos (inquit) materiam alicui dare volumus veniendi contra juramentum proprium; ne auctores perjurii videamur. » Haec ibi: eo tamen addito, quod ad coercendam iniquitatem perversorum, Romana Ecclesia consueverit a tali juramento absolvere. Concordat c. *Verum*. 15. eod. et c. *Ad audientiam*. 4. *De iis quae vi metuae*, etc.

101. *Coacta voluntas est voluntas.* — Accedit ratio: quia « coacta voluntas est voluntas; » ut habet vulgatum canonistarum, atque desumitur ex can. *Merito*. 15. q. 1. juncta Glossa ibid. *¶ Vult*. Et quia per juramentum simul oritur obligatio, qua quis obligatur Deo, ut impleat, quod per nomen ejus, at-

que sub attestatione sui divini testimonii promisit: potius is deberet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare, donec ab hujus observantia per superiorem legitime fuerit absolutus. Plura de juramento, per metum injustum extorto, patent ex iis, quae lib. I. tit. 40. « De iis, quae vi metusve causa fiunt, » per totum copiosius dicta fuerunt: ubi etiam n. 57. 58. et 59 ponitur differentia inter volum metu emissum, quod non obligat; et juramentum metu extortum, quod obligat. (ADNOTATIO XV.)

102. *Juramentum promissorium in utilitatem hominis factum, potest considerari, vel ut per se stat, vel ut ab altero est acceptatum, sicque involvit rationem pacti.* — Queritur VI. Utrum obligatio juramenti promissorii sit personalis, vel potius realis, ita ut ad haeredes transeat? Ubi praenotandum, quod juramentum promissorium, in hominis utilitatem factum, dupliciter considerari possit. *Primo*, ut per se stat, atque praeseindit a ratione pacti, seu promissionis ab altero acceptatae, simul quandoque concurrentis: uti est juramentum Deo factum dandi eleemosynam pauperibus, aedificandi ecclesiam pro certis religiosis, vel aliud quid praestandi ad utilitatem hominum. Antequam enim promissio illa fuerit ab altero acceptata, cessat ratio pacti, quod includit duorum, vel plurium in idem consensum; ac remanet sola ratio, atque obligatio propria juramenti, obligantis duntaxat erga Deum ex virtute religionis. *Secundo*, ut juramentum promissorium homini factum intelligitur ab altero acceptatum, sicque simul involvit rationem pacti; hoc est, promissionis alteri factae, ab eoque acceptatae. Atque in hoc casu juramentum promissorium duplicem inducit obligationem: unam erga Deum ex virtute religionis, ne testimonium ejus in falsum assumatur: alteram erga hominem ex virtute justitiae, vi cujus tenetur quis servare pactum, seu suam promissionem alteri factam, ab eoque acceptatam. Hoc praenotato:

103. *Obligatio propria juramenti, seu procedens ex virtute religionis, est omnino personalis.* — Resp. I. Obligatio propria juramenti, seu procedens ex virtute religionis, est omnino personalis, solumque jurantem afficit: si tamen juramentum sit confirmatorium promissionis ab altero acceptatae, tunc obligatio inde suborta vi pacti, seu ex virtute justitiae, transit ad haeredes, paritque actionem in foro externo tam civili, quam cano-

nico. Ita divus Thomas 2. 2, quaest. 98, art. 2, ad 4. Abbas c. *Veritatis*. n. 3; h. t.; Covarvivas c. *Quamvis pactum*. part. I. § 2. a n. 3. usque ad 10; Layman lib. IV. *Theolog. moral.* tract. III, cap. x, n. 2. 3 et 5; Sanchez, lib. III. in *Decalog*. cap. III, n. 1. et seqq.; Pirhing h. t., n. 145 et seqq. cum aliis. Prima pars ex eo patet, quia jusjurandum est obligatio voluntarie assumpta ex virtute religionis: juramentum enim, sicut et votum, non potest esse sine intentione jurandi, seu votendi; ergo est vinculum personae annexum, sicque ex vi juramenti nequit ejus obligatio ad aliam transferri personam.

104. *Et quid, si aliquis pro se, et suis successoribus, juravit quidpiam praestare?* — Atque istud quoque procedit, etiamsi aliquis pro se, et suis successoribus juraverit quidpiam praestare. Quamvis enim tunc successores possint obligari vi pacti, seu promissionis ab aëio acceptatae, ut habet altera pars conclusionis: non tamen hi tenebuntur ex vi juramenti, adeo, ut si juramentum sui antecessoris non servaverint, fiant perjuri: quia religio juramenti est personalis, sicque nequit ea quis per alterum obligari, Abbas, Sanchez, Layman, ubi supra, et alii.

105. *Rex, episcopus, canonicus, et haeres vasalli, cura principio soleant praestare personale juramentum.* — Et hinc est, quod rex, episcopus, canonicus, etc. a principio sui regni, episcopatus, canonicatus, etc. soleant praestare proprium, ac personale juramentum: quia caeteroquin sub reatu perjurii non obligarentur ad servanda juramenta, quae antecessores ipsorum ediderunt. Similiter haeres vasalli, cum investitur, novum fidelitatis juramentum praestare cogitur; quia non obligaretur ex homagio sui antecessoris. Sylvester *¶ Juramentum*. 4, q. 3; Layman loc. cit., n. 3, allegans communem.

106. *Si juramentum est confirmatorium promissionis ab altero acceptae, tunc obligatio inde suborta vi pacti transit ad haeredes, etc. Paritque actionem in utroque foro.* — Altera pars conclusionis probatur ex eo. Quia promissio jurata, et ab altero acceptata, non est merum juramentum, sed est verum pactum: atqui obligatio pacti, praesertim juramento firmati, transit ad haeredem, etiamsi non fuerit expressum, dummodo contrarium, non sit cautum, l. *Veteris*. c. *de Contrahend. stipulat.* et l. *Si pactum*. ff. *de Probat.* Paritque actionem in utroque foro, cap. I. *de Pactis*. et l. *Ut jurisjurandi*. ff. *de Operis libertor.*

cum similibus: estque uberius dictum. lib. I. tit. XXXV. *de Pactis*. § 1, n. 31. et seqq. ergo. Hinc cap. ult. *de Foro compet.* habetur, quod laicus ratione juramenti, seu ut illud servare compellatur, coram judice ecclesiastico conveniri valeat.

107. *Si defunctus promissionem homini factam, et ab eo acceptatam, juramento firmaverit, tunc obligatio propria juramenti extinguitur, sed obligatio ratione pacti transit ad haeredem.* — Infertur proinde, quod si defunctus promissionem homini factam, et ab eodem acceptatam, v. g. de danda certa pauperi puellae dote, juramento firmaverit, sicque duplicem contraxerit obligationem; unam religionis, vi praestiti juramenti; alteram justitiae, ratione pacti, seu promissionis ab altero acceptatae; tunc quidem per mortem ipsius extinguitur prior obligatio, quae est propria juramenti, atque ex virtute religionis oritur, cum sit mere personalis; posterior tamen transeat ad haeredem. Et ratio est, quia haeres hoc ipso, quod adeat haereditatem, censetur contractum inire ad solvenda omnia defuncti debita, et onera realia; sicque etiam tenetur implere dictam promissionem, dando videlicet pauperi puellae dotem, non quidem ex motivo religionis, sed ex virtute justitiae, Layman cit. cap. x. n. 4.

108. *Juramentum reale Deo factum tenetur haeres defuncti adimplere, potestque ad hoc compelli, idem est dicendum de voto reali.* — Atque hoc ipsum est dicendum de juramento reali soli Deo facto, dandi v. g. certam pecuniam pauperibus in honorem Dei: quia, licet tale juramentum a nullo hominum sit acceptatum, nihilominus haeres defuncti tenetur illud adimplere, potestque ad ejus adimplitionem compelli a judice ecclesiastico. Prout in simili dicitur de voto reali, c. *Ex parte*. 16. *de Censib.* et c. *Si haeredes*, 6. *de Testament.* et l. 2. ff. *de Pollicitat.*, ubi sic habetur, « Voti enim obligationem ad haeredem transire constat. » Quod de voto reali, seu consistente in dando, non autem de voto personali, eundi v. g. ad Sanctum Jacobum Compustellanum, esse intelligendum, notat Glossa fin. ibid. Accedit ratio, quia licet haeres defuncti, juramentum reale Deo facientis, non obligetur ad istud persolvendum ex vi ipsius juramenti, seu ex virtute religionis (nam obligatio juramenti fuit personalis, ac cessavit cum persona defuncti) tenetur nihilominus haeres defuncti tale juramentum reale persolvere ex obligatione justitiae, ac vi me-

morati contractus per additionem hæreditatis cum defuncto initi ad solvenda onera realia ipsius. Pirhing h. t. n. 147; Castropalao part III disp. 2. de Jurament. punct. 11. n. 1. citans alios.

109. *Secus dicendum de juramento debitoris defuncti, qui promisit solvere usuras.* — Secus dicendum de juramento debitoris defuncti, qui promisit solvere usuras, juxta c. *Debitores*. 6. h. t. Nam quia obligatio juramenti fuit personalis, sicque extincta in morte debitoris defuncti; nulla vero remanserat obligatio justitiæ, eo quod exactio usurarum contineat turpitudinem, atque injustitiam ex parte recipientis: hinc hæres non tenetur ad istud juramentum persolvendum. Covarruvias d. c. *Quamvis pactum de Pactis*, in 6, part. I. § 2. n. 8; Pirhing cit. n. 147; Layman d. cap. x. n. 4; Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. XIII. n. 5. citans alios.

110. *Juramentum ex parte ejus cui juratur, non est personale, sed transit ad hæredes.* — Resp. II. Nihilominus juramentum ex parte ejus cui juratur, non est personale, sed transit ad hæredes ipsius. Ita Innocentius c. *Veritatis*. h. t. dicens, quod juramentum, licet sit personale ex parte jurantis, tamen sit reale ex parte ejus, cui juratur. Sigism. Scaccia, lib. 2. de *Judiciis*. cap. II. n. 103, asserens doctores communiter sequi Innocentium; Covarruvias cit. part. I. § 5, n. 7; Angelus *¶ Juramentum*. 5 n. 40; Sanchez, d. cap. XIII. n. 6. et alii passim. Idque desumitur ex c. *Veritatis*. 14. juncta Glossa fin. et doctoribus ibid. h. t. ubi vasallus, qui juravit paelato fidelitatem atque reverentiam, eandem etiam tenetur exhibere successoribus ipsius, neque istis amplius compellitur jurare, nisi velit; prout notat Glossa ibid. *¶ Compellantur*.

111. *Pactum tibi factum, extenditur ad hæredem tuum.* — Concordat textus in l. *Si pactum*. ff. de *Probat.* ubi pactum tibi factum, extenditur etiam ad hæredem tuum: Quia plerumque tam hæredibus nostris, quam nobismetipsis cavemus. Idem ergo dicendum de juramento, utpote quod suscipit naturam et condiciones promissionis, cui adjicitur. Hinc jurans, v. g. solvere Petro centum florenos, eo defuncto ante factam solutionem, tenetur istos solvere hæredibus Petri, et quidem, ex vi juramenti huic præstiti; prout exemplificat Sanchez cit. n. 6 et Pirhing h. t. n. 149. allegans alios cum cumuni.

## § IV.

## DE JURAMENTO UT CONFIRMANTE PACTA, VEL CONTRACTUS DE JURE INVALIDOS.

112. *Contractus per juramentum confirmatus plurimum differt ab eo, qui non confirmatur, sed solum juramentum servari debet.* — Quæritur I. Utrum, et qualiter differat contractus per juramentum confirmatus, ab eo, qui non confirmatur, sed ipsum solum juramentum servari debet? Resp. Plurimum differe; prout fusius ostendit Jason Auth. *Sacramenta puberum*. n. 38 et seqq. c. *Si adversus venditionem*. Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. XII, n. 58. et seqq.; Engel h. t. n. 12. et alii. Idque probatur inductione, ostendendo plures ejusmodi differentias, atque peculiare effectus, quos habet contractus juramento confirmatus, qui non competunt alteri non confirmato, seu ubi solum juramentum habet vim obligandi.

113. *Enumerantur hujusmodi differentie.* — Primo enim, quando juramentum solum obligat, contractus vero cæteroquin de jure nullus per illud non confirmatur, obligatio ejus non transit ad hæredes: secus dicendum, si per illud etiam confirmetur contractus. Ita Jason cit. l. *Sacramenta puberum*. n. 38. et Engel h. t. n. 12. Ratio est, quia juramentum non potest esse sine propria intentione; ac proinde obligatio ejus est mere personalis, atque voluntarie assumpta ex virtute religionis, et consequenter non transit ad hæredes: quamvis hi teneantur stare pactis, et contractibus defuncti, ut paulo superioribus n. 103. et seqq. jam dictum.

114. *Secundo, quando juramentum non confirmat contractum cæteroquin invalidum, potest peti relaxatio juramenti, eaque impetrata veniri contra contractum; utpote qui demitteretur in sua natura, sicque invalidus remaneret.* Secus, si contractus ipse per juramentum confirmaretur: nam tunc sublato per dispensationem vinculo juramenti, adhuc remaneret obligatio et vinculum contractus, eo quod per juramentum fuisset confirmatus, roburque accepisset.

115. *Tertio, quando juramentum non confirmat pactum vel contractum, sed ipsum duntaxat obligat impletur obligatio ejus momentanea solutione, et statim potest solvens, impetrato judicis auxilio repetere rem solutam; ut accidit c. Debitores.* 6 h. t. Secus, si ipsum pactum seu contractus confirmetur.

116. *Quarto quando juramentum non con-*

firmat contractum, violans illud solum agit, et peccat contra virtutem religionis: si vero confirmetur contractus, ageret etiam contra virtutem justitiæ. Tacentur aliæ differentie, de quibus Jason, et Sanchez, ubi supra, et Pirhing h. t. n. 142. cum aliis. Supposito proinde tam multiplici effectu contractus per juramentum confirmati.

117. *Contractus de jure invalidi an confirmantur juramento? Qui sunt juri naturali aut divino contrarii, non possunt juramento confirmari.* — Quæritur II. Utrum contractus de jure invalidi, confirmantur juramento? Resp. I. Contractus juri naturali, aut divino contrarii, vel versantes circa materiam illicitam, non possunt juramento confirmari; adeo quod tunc neque ipsum juramentum obliget. Ita certa, et communis omnium: siquidem « non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, » ut loquitur reg. 58. juris in 6. Simulque « juramentum non ut esset iniquitatis vinculum, fuit institutum; » prout loquitur pontifex in c. *Quanto*. 18. h. t. estque jam dictum supra n. 73. et 74. Quæstio itaque duntaxat remanet de pactis, seu contractibus, solo jure humano, sive civili, sive canonico irritis; et de his loquendo,

118. *Contractus jure duntaxat humano invalidi, aliquando confirmantur juramento.* — Resp. II. Contractus jure duntaxat humano invalidi aliquando confirmantur per juramentum, aliquando non. Ita Abbas c. *Cum contingat*. n. 8. h. t. allegans Bartolum; Covarruvias c. *Quamvis pactum de Pactis*, in 6, part. II, § 1, n. 17; Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. XII, n. 5; Pirhing h. t. n. 132, allegans alios; estque communior doctorum, paucis exceptis, qui volunt, contractum de jure irritum nunquam confirmari juramento, sed tunc solum juramentum esse servandum, relicto contractu in sua invaliditate. Et hujus sententiæ rationes ponentur infra num. 128. loco objectionum; ipsamque tenet Jason cit. l. *Sacramenta puberum*. n. 37. c. *Si adversus vendit.* cum nonnullis aliis, quos pro hac sententia allegat Covarruvias, ubi supra, n. 17.

119. *Idque probatur.* — Prima pars, videlicet contractus aliquos jure humano cæteroquin irritos confirmari juramento, probatur ex textu satis claro, c. *Quamvis pactum de Pactis*. in 6. ubi dicitur: « Quamvis pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna re-

gressum haberet, improbet lex civilis: si tamen juramento non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debet: cum non vergat in æternæ salutis dispendium: nec redundet in alterius detrimentum. » Hæc ibi. Ubi patet, non juramentum duntaxat decerni servandum, sed etiam ipsummet pactum utpote, de quo loquitur textus, quodque expresse dicitur « juramento præstito firmatum; » ac proinde subditur, quod « omnino servari debet. »

120. Huc etiam communiter allegatur textus c. *Cum contingat*. 28. h. t. et c. *Licet*. eod. in 6. ubi etiam judices sæculares per locorum ordinarios censura ecclesiastica jubentur compelli ad servandum quoad hoc jus canonicum. Concordat auth. *Sacramenta puberum*. c. *Si adversus venditionem*, etc. juncta Glossa et Summario ibidem, expresse hanc sententiam tenente, dum inquit: « Contractus puberum juramento firmati, nequeunt infirmari: nisi vis, vel justus metus intervenit, » etc. Quamvis cæteroquin textus isti possent facile de juramento explicari, non autem de pacto sive contractu ipso.

121. *Aliquando vero non confirmantur juramento. Ut si juramentum per vim, aut metum fuit extortum.* — Altera vero pars, quod nimirum aliquando contractus non confirmantur juramento, patet tum ex c. *Cum contingat*. 28. h. t. tum ex relato c. *Quamvis pactum de Pactis*, in 6. Nam imprimis juramentum, ad quod quis præstandum per vim, sive metum gravem, aut dolum inductus fuit, non confirmat contractum, promissionem vel pactum: prout ex citatis canonibus, argumento a sensu contrario desumpto, colligitur; juncta auth. *Sacrament puberum*. c. *Si adversus venditionem*: ibi: « Sacramenta puberum per vim, vel justum metum extorta, nullius esse momenti jubemus, » cum concordantiis: haud obstante, quod ipsum juramentum metu extortum obliget, donec illud legitima auctoritate fuerit relaxatum, sive dispensatum, juxta dicta n. 100. et 101.

122. *Aut si juramentum est in præjudicium tertii, vel boni publici.* — Deinde, si juramentum est in præjudicium tertii, non confirmat contractum: imo si principaliter ac directe redundet in alterius præjudicium, etiam ipsum juramentum non obligat, neque observandum est, c. *Cum contingat*. 28. h. t. et c. *Quamvis pactum*. eod. in 6. Siquidem tale juramentum foret illicitum, utpote tendens in injustum præjudicium alterius. Et hoc a for-